

non est in proximo discéssu, quasi ad nihilum valet, quia extra tempus, et inopportune.

§. XIX. Quae autem pertinent ad Visitationem, curamque Infirmorum, et ad juvandos morientes, ad commendationem Animae, et ad exequias, infra suis locis praescribuntur.

Atque ideo et nos suo loco, de his tractabimus, animadversionesque faciemus, cum nihil hic eas facere praestet.

SEPTEM

PSALMI POENITENTIALES

CUM LITANIIS.

TITULUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Psalmi Poenitentiales, ex universo Psalterio Davidico collecti.
- 2 Quare vocentur Poenitentiales?
- 3 Fuerunt in usu ante tempora Divi Augustini.
- 4 Peccata hominum septem modis remittuntur.
- 5 Peccata capitalia septem sunt.
- 6 Quare septem Psalmi recitentur flexis genibus.
- 7 Quandoque recitantur ambulando in Processionibus.
- 8 Ad quid recitentur in ministracione Extremae Uctionis.
- 9 Non est de praecepto ista recitatio in hoc loco.
- 10 Boni effectus derivati a recitatione horum Psalmorum.
- 11 Absolute olim inchoabantur.
- 12 Antiphona: *Ne Reminiscaris* desumpta ex Tobia.
- 13 Litania quid significet?
- 14 Non dicitur Laetania, ut nonnulli perperam scribunt.
- 15 Quotuplex sit Litania?
- 16 Majores, cur ita appellentur?
- 17 Minores, quare sic dictae?
- 18 Breves, cur tali modo nuncupentur?
- 19 Opinio Auctoris circa Litaniarum divisiones.
- 20 Litania hoc loco sumitur pro invocacione Sanctorum.
- 21 Antiquitus Litaniae erant multifformes.
- 22 Sancti Titulares non possunt addi in Litanis absque licentia.
- 23 *V. A flagello Terraemotus* superadditus a Clemente XI.
- 24 *S. Joseph* nomen additum in Litanis a Benedicto XIII.
- 25 *Pater noster* cur dicatur secreto?
- 26 Psalmus post Litanias est exultationis.

In Administratione Sacramenti Extremae Uctionis facta est mentio de Psalmis Poenitentialibus recitandis in Cubiculo Infirmi ab adstantibus, usque dum Sacerdos munere suo fungitur

circa inunctionem Infirmi. Modo Rituale nostrum istos Psalmos per extensum exhibet, una cum Litaniiis subsequenter post Psalmos recitandis, ut hoc pacto faciliter ad manus sint tum Sacerdotis ministrantis, tum Populi adstantis.

Quae recitatio Psalmorum inservit ad Divinam opem implorandam pro Infirmo graviter laborante, qui fortasse in singulis sensibus captus, et destitutus non valet pro se orare.

§. I. Pro Infirmis, dum Sacro liniuntur Oleo, seu pro alia necessitate, dicuntur flexis genibus.

1 De istis Psalmis, qui Poenitentiales vocantur, et collecti sunt ex 150. Psalmis Dividicis, plura scripsit Gav. t. 2. sect. 9. c. 4. Corsett. *Ind. rationale, verbo Psalmi.* Rubeus, l. 3. c. 35. et alii, ex quibus quae sequuntur, desumpsi.

2 3 Instituti sunt isti Psalmi, et Poenitentiales vocantur, eo quia ad Poenitentiam nos movent. Videntur fuisse in usu ante tempora S. Augustini, qui cum morti proximus esset, eos legisse fertur.

4 5 Septem vero sunt, quia totidem modis remittuntur peccata nostra, nempe Baptismo, Martyrio, Eleemosyna, dimittendo aliis, convertendo alios, abundantia Charitatis, et Poenitentia. Pariter septem sunt juxta septem peccata capitalia, et in illis omnibus agitur de Poenitentia.

6 7 Recitantur flexis genibus, eo quia dispositi sunt ad placendam Dei iram erga Peccatores, si cum humilitate recitentur, Corsett, *ib.* Sed non semper genibus flexis recitantur: quandoque ambulando in Processionibus cantantur, et tunc quoque ad inpetrandam Divinam misericordiam inserviunt, quia Processio est actio impetrativa, et deprecatoria, ut suo loco in Titulo de Processionibus dicendum erit. Modo sufficit, ut sciant Religiosi, posse recitari istos Psalmos tum stando, tum deambulando.

8 9 In casu, et occasione Extremae Uctionis, debent recitari a circumstantibus, non autem de praecepto; quia isti Psalmi non sunt necessarii, nec partes Sacramenti; neque Ecclesia intellexit obligare aliquem indispensabiliter ad hanc recitationem, Bonac. *quaest. unic. punct. 6. num. 7.*

10 Optima tamen res est (si adsint in cubiculo Infirmi Personae aptae ad hanc recitationem) eos plene, et alternatim psallere, ad demonstrandum, quod alter alterius onera portare debet, Corsett. *d. Verb. Psalmi.* Ultraquamquod recitando istos Psalmos, adstantes a vanis allocutionibus abstinent, quae dum Sacerdos Sacramentum ministrat, adeo deformes, et

dissonae sunt, et eundem ministrum maxime distrahunt, et perturbant.

§. II. Antiphona. *Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra etc.*

§. III. Litaniae. *Kyrie eleison, etc.*

11 12 Absolute olim inchoabantur isti Psalmi ex Radul. *prop. 21:* Sed Gavant. *d. l. n. 4.* dicit, quod in Breviario Ms. 1550. praemittitur Antiphona ista sumpta de Tobiae Libro. Notat insuper d. Gavant, *l. c.* quod quilibet horum Psalmorum concluditur cum *Gloria Patri, etc.* nempe cum Trinitatis glorificatione, a qua speratur divina Gratia per Poenitentiam. Gratia vero dicitur *Gloria Dei.* Rom. 3.

13 14 15 Litaniam (non Laetania, ut nonnulli putant, eo quia laetania significat diem laetitiae, Macri *Hierolex.*) est proprie supplicatio, Rogatio, atque Processio. Dividitur in majorem, et minorem, seu brevem; unde legimus, recitari debere modo Litanias majores, modo minores, modo breves in divinis Officiis.

16 17 18 19 Majores nuncupari Litanias existimat Macrobius *frater*, quia illas cantando, in Urbe ad S. Mariam Majorem progrediebatur, et minores quia ad minorem Sanctam Mariam Processio dirigebatur. Sed ego puto, Litanias majores appellatas esse illas quae invocant Sanctos omnes e quocumque Ordine, ut sunt illae de quibus nunc Rubrica nostra loquitur. Minores vero, seu Breves, illas, quae in Missali praescribuntur recitandae Sabbato Sancto, quia minorem, et breviorum numero Sanctorum invocant. De facto istae ultimae, per hoc Rituale in Titulo de *benedictione Fontis Baptismali*, §. 3. appellantur *Litania brevior.*

20 21 22 Communiter hodie Litaniam est Invocatio Sanctorum, qua Ecclesia uti solet: quia usus non fuit ante S. Hieronymi tempora, ut vult Valaf. *de Verb. Eccl. cap. 28.* Circa quas Litanias advertendum est cum Gavanto, Macrobius, Corsetto, et aliis, quod Litaniiis a S. Pio Papa V. reformatis (antiquitus enim multiformes erant) non possunt sine licentia Sedis Apostolicae alii Sancti titulares supperaddi, juxta respons. *Sacr. Rit. Cong. ad Canonicos Regien. sub die 22. Martii 1631.* Multo minus possunt Sancti non canonizati adjungi, Bellar. *de Sanct. Beatitud.* Quod nedum publice, sed nec privatim fieri posse docet Sanch. *l. 1. c. 3.* Item Clemens VIII. anno 1601. publico decreto prohibuit ne imprimerentur, neve in Ecclesia Catholica canerentur aliae Litaniae nisi consuetae de

Sanctis, et de B. Maria Lauretana. Quod decretum nuper, nempe hoc anno 1727. *sub. die 2. Septembris* renovatum fuit, sub iisdem poenis observandum a Sanctissimo Benedicto XIII.

Quoad Litanias de Beata Maria Virgine, sciendum est, quod iis addi non possunt alia attributa, seu nomina Mariae Virginis, Cors. *Tr. 1. p. 1. c. 18. n. 16.*

23 24 In majoribus vero de recenti additus fuit versiculus *A flagello Terraemotus* de mandato, non autem per decretum, Sanctiss. Pontificis Clementis XI. anno 1702. quo Romae Terraemotus insaevire cœperat. Pariter nomen Sanctissimi Joseph sponsi Beatae Mariae Virginis insertum fuit in iisdem Litanis anno 1726. eodem Summo Pontifice Benedicto XIII. mandante. Sed de Litanis majoribus luculenter verba faciemus in Titulo *de Processionibus, et de Litanis majoribus.* Ideoque hic satis.

§. IV. *Pater noster, etc. Secreto, etc.*

25 Secreto dicitur Pater noster usque ad, *et ne nos inducas in tentationem* exclusive, ut quisque oret pro suo libitu, et necessitate; illique petitioni magis innitatur, quae magis eum juvet, Gavant. *T. 2. sect. 4. c. 6. n. 10.*

26 Psalmus 69. post Litanias, olim erat diversus, Gavant. *T. 2. sect. 9. cap. 3. num. 12.* est Psalmus exultationis, et recitatur pro gratia, et rememoratione gratiae tamquam acceptae, Bellarm. *in Ps. 69.*

DE

VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

TITULUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Mancinius scripsit optime in hac materia.
- 2 Institutio Clericorum Reg. ministrantium Infirmis valde utilis.
- 3 Adhuc in Parochis viget obligatio visitandi suos Infirmos.
- 4 Parochi tenentur de jure visitare Infirmos suae Parochiae.
- 5 Sacerdotum munus est Animas juvare.
- 6 Parochus non debet expectare, ut vocetur ad Infirmum.
- 7 Parochus debet investigare Infirmos. et accedere ad eos.
- 8 Populus admoneri debet, ut advocet Parochum quando quis infirmatur.
- 9 Catalogus Infirmorum habendus a Parocho.
- 10 Regula Concilii Agathensis pro Infirmis.
- 11 Legitimum impedimentum dispensat Parochum ab omni munere.
- 12 Impedimenta legitima enumerantur.
- 13 Parochus si habet infirmos cum periculo, non debet vagari.
- 14 Absens tenetur substituere aliquem Sacerdotem idoneum.
- 15 Laici quo ad bene consolandum, et instruendum Infirmum sufficient.
- 16 Nusquam Parochus solus accedat ad Infirmos.
- 17 Parochus an teneatur praestare eleemosynas pauperibus infirmis?
- 18 Liber de Charitate Ludovici Antonii Muratorii laudatus.
- 19 Pensiones a Beneficiis Curatis sublatae a Benedicto XIII.
- 20 Archiconfraternitas Charitatis Romae instituta.
- 21 Illius onera, et munera.
- 22 Salus Animae praecipue quaerenda est in Infirmis.
- 23 Libri consolatorii adhibendi in hoc opere.
- 24 Infirmi ad Confessionem cito suadendi, et inducendi.
- 25 Constitutio Benedicti XIII. pro Medicis visitantibus Infirmos.
- 26 Medici obligationes, et casus, qui occurrere possunt.
- 27 Praestigia non adhibenda pro curandis Infirmis.
- 28 Abortus vitandi, et ipso jure damnati.
- 29 Etiam si solummodo procurentur, non sequuto effectu.
- 30 Medicamenta Circulatorum, et Foeminarum non sumenda.
- 31 Graviter infirmi plerumque periculum vitae non advertunt.
- 32 Parochus veritatem tenetur revelare Infirmis.
- 33 Parochus non sufficit ut instructus sit in sola Theologia morali.
- 34 Artem suadendi callere debet.
- 35 Ad movendos pertinaces, verbis, et orationibus utendum.